



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXII. Ducis boni officium & artes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Audax.

§. 5. Audacia vero frequenter felicem exitum dedit. Mauritius quidam cornicularius Cæsaris excitauit quosdam vigiles, & per medias Cæsaris copias prælium Pompei induxit. Audax igitur miles esto, sed ducis prudentia, animositate utatur.

Experimentum fortitudinis.

§. 6. Fortes potius quam grandes, oculis vigilatibus, erecta cervice; Marius tironem exigit, qui senos pedes, aut quinos decemque uncias habet. Interim itatura quoque pefanda est, qui vires addit; Imperatorie planè Pyrrus, Tu grandes elige, ego exercitatione fortes reddam. Et Brennus productis contemptissimis Græcorum, & cum fortissimis suorum componebat, atque ita Tantos, contra tantillos, ut pugnantem hortabatur. Fortitudinem arte nonnulli probauerunt.

Chabrias cum exercitum Tironum in prælium ducturus esset; edixit; ut qui ægri essent arma deponerent, timidi morbum simularent, eos ille ad præoccupanda loca quædam misit, ut multitudine hostem terrent. Polyænus l. 3.

§. 7. Ipsa quoque ducis experientia ignauos à strenuis secrete Theagenes Atheniensium dux, cum enim multi ordines ab eo peterent, ad Megaram daturum respondit. Clam vero equites præmisit, eosque hostium specie contra agmen suum redire iussit. Tum vero quasi sollicitus ad pugnam hortatur, & quemque quo veller loco consistere permittit; Tum in primam aciem fortes & alacres profiliunt, timidi post principia stant, Theagenes eo quo quemque inuenit loco, promouit. Et Iphicrates cum multos timidos se qui vidisset, edixit, ut si quispiam aliquid reliquisset, rediret, quo bene instructus in hostem iret, cumque occasione, multi uterentur, ceteros fidentiores reddidit, cum diceret; viros fortes sine mancipijs pugnatos.

Velocitas militis.

§. 8. Velocitas agilitasque, ut fortitudinis est indicium, ita bello necessaria est. Velociorem Hasæale, de quo in quo scriptura est, nullum meminimus: & forem tamen virum fuisse res ipsa ostendit.

Multitudo viranda.

§. 9. Denique multitudo & turba vitetur; vires non habet, sed pondus, magis impedimentum est, quam auxilium, manibus opus est, non nominibus. In maximis enim pugnis pauci sunt, qui hostem profligant, si ordines seruent, recentesque mittantur, non potest vinci acies, nisi cum ceteri cadantur; aut nunc fere aliquo casu fit, ut pauculis caesis omnes vertantur in fugam.

§. 10. Multitudo noxia est. Xerxis exercitus flumina siccauit. Credimus altos

Defecisse amnes, epotag. flumina Medo.

Ingens multitudo in plures exercitus diuidenda.

Justin. Trecenta septuaginta millia, alij quingentas Myriadas, id est, quinquagies centena millia. Cresias in Nini exercitu pedites decies septies centena millia, equitura ducenta millia, currus paulo minus decem millibus, & sexcentis memorat. Darius octingenta millia contra Schytas duxit. Seipsum impedit, & hosti obnoxia redditur. Si multitudo habetur, diuidatur in plures exercitus.

Obediencia.

§. 11. Milites idoneos Romani varia exercitatione parauerunt: honores enim capere non licuit, nisi emeritis magna parte stipendijs, nec uxorem ducere ante dena stipendia.

§. 12. Caput in milite est obediencia: que in re grauissima est exercita, cum iussu in mortem sit eundum. Itaque coercendi, qui ducum imperia interpretari, quam exequi malunt, qui regendo se ingerunt. Talis erat Romanus exercitus in Macedonia. Plutarch. in Galba. Plerique exercitum veluti corpus, nullo proprio impetu, sed ducis tantum moribus ceteri debere assenserunt. Quapropter ferunt Emilius Paulum, cum is exercitum in Macedonia accepisset loquacitatis, & curiositatis plenum, & se curis muneribusque imperatoris ingentem, præcepisse ei, ut vnusquisque ei manum impræparat, & acutum gladium præstaret, sibi reliqua curæ fore. Myronides edixit, ut Athenienses exi-

rent, cumque nondum omnes exissent, pugnam incipit, cunctationem interpretatus timorem. Agesilaus Ephefi diuitibus equum & virum imperauit, atque ita pro ignauis strenuus accepit.

CAPVT XXII.

Ducis boni officium & artes

Imperator necessarius.

§. 1. Dux exercitui præcipue necessarius est; est enim exercitus sine duce prudente, sicut vana belua sine capite, sicut Polyphemus, monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. Quamobrem & Demades Alexandri exercitum Cyclopem appellauit, quod omnia adessent illi, prudentia deesset, quæ moles illa regeretur.

Exercitus sine duce turba est, corpus est sine anima, remigum ordo sine gubernatore. Summa: Tanti est exercitus, quanti gubernator. Exercitus sine duce, Leo est sine oculis, dux sine exercitu firmo, caput sine corpore. Cæsar cum in Hispaniam contra Petreium & Afranium Pompei legatos tenderet; vado, inquit, ad exercitum sine duce, cum in Thessaliam contra Pompeium, vado ad ducem sine exercitu. Nam firmas legiones habebat legati, Pompeius Tirones magnam partem. Duces bonos plus valere mediocri exercitu, quàm bonus exercitus sine duce. Scipio, Pópeius, Gracchus, Pelopidas, Epaminandas, alijque docuerunt; nam bonus dux celeriter militem format.

Libertas ducis.

§. 2. Duci bellorum magna est in re gerenda libertas permittenda: neque puniendus ob rem male gestâ. Cum enim tantæ occurrât in bello difficultates, tam subita mutationes, ut humano consilio providere nequeant, in nouo periculo, noui consilij libertas relinquenda est. Deinde quæ in eisdem geruntur castris, sæpe utrique parti ignota sunt, tantum abest, ut hostium sæpe machinationibus occurrere possit. Brutus contra Octavianum in suo cornu victor, Cassius est victus, cum exercitum Bruti fugatum putaret, manus sibi attulit, quod nili fecisset, pari Marte res Romanæ stare poterant. Idem iam olim inter Equos & Romanos contigit, Sæpronio consule, cum utrique se victos putarent. Cum igitur tantæ turbæ omnia confundant, non sunt viri magnanimi alijs periculis grauandi, sed in aduersis potius adiuvandi.

Prudentia & sagacitas duci.

§. 3. Prudens sit in primis, à quo tot virorum fortium, atque adeo regni fortuna pendet. Ratio ducat agentem non fortuna, quæ tamen si inuitet occasione, eam quoque prudentia moderetur. Periculo enim & negotijs compertum est, ingenium in bello plurimum posse, eam præsertim virtutem quam Græci ἀνχινοῦν, sagacitatem latini appellant.

Magni duces plura consilio, quam vi perfecērunt.

Carthaginenses duces bella prauo consilio rem gerentes, Val. l. 2. 7. etiâ si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebantur: quod bene gesserant deorum immortalium adiutorio: quod male commiserant, ipsorum culpæ imputantes. Haud magni momenti fortunæ esse cõitat. Vix perit exercitus, nisi ubi in consilio errat.

Melior est dux prouidus, quàm audax. Et vere Cæsar, Non est minus imperatoris superare consilio, quam gladio.

Vegetus, alacer sit.

§. 4. Vegetus, alacer, non magni nominis vmbra. Periculis itaque excitetur, aliosque animet. Talis L. Marcællus cum in opinato se hoste circumdatum videret, in eos inuectus, etiam spolia optima tulit. Sempronius Tuditanus & C. Octavius Tribunus cum duodecim cõmitionibus per hostium præsidia transierunt. Vigor animi, & confidentia victoriam peperit. Et cum Leonidas diceretur, nubes sagittarum à Persis faciendas, respondit, in vmbra se pugnaturum. Aliquando ipse exemplo præcat, quod maximi Imperatores fecere. Posthumus post exhortationem cum milites quærent, quid imperaret, ut se imitarentur iussit, & sublato signo in hostem iuit, & vicit.

Tit 3

§. 5. In-

Innocens sit.

Alexandri Imperatoris exemplum.

Pius.

Dives.

Curius in hostium consiliis.

Temperans, sobrius.

Seuerus.

Prudens seueritas.

Comitas ducis.

Audaculus foueat.

§.5. Innocens, neminem iniuriā afficiat, tantarū copiarum dux, omnes honesti & decori æmulatione excitet. ita Alexander Imperator, de quo historia eius testatur. Quum igitur cæcus ac talis Imperator domi ac foris esset, inque Parthicam expeditionem: quam tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, ut non milites sed senatores transire dicerentur. Quacumq; iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsū vero ob hæc tot & tanta bona provinciales, ut Deū suscipiebant. Iam vero ipsi milites iuuenem Imperatorem sic amabant ut fratrem, ut filium, ut parentem: vestiti honeste, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis et instructi, & ephippijs ac frenis decoribus prorsus, ut Romanam remp. intelligeret quicumq; Alexandri vidisset exercitum. Elaborabat deniq; ut digno illo nomine videretur, imo ut Macedonem illum vinceret: dicebatq; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere.

§.6. Famam vndiq; non ad vanitatem honoris, sed ad salutem aucupentur. Fama in bello validissima est, & pereunt, quos fama perisse retulit. Nusquā res magis euertitur iactatur, ad casum vnius castra vincuntur.

§.7. Pietatem in primis cordi habeat: Impio ne te, & fortunas tuas crede. Postremo enim tandem misere perire, & exempla fuere. Etiam cum miles impius est, ducem pium requirit.

§.8. Diuites ordinarie deligendi sunt; nā nec prædæ ita inhiant, & opportunos ad sumptus sufficiunt.

§.9. Res hostium perspectas habeat; Epaminondas optimū dicebat ducem, qui quāuis res hostium certo cognoscere nō posset, saltem coniecturā cognosceret.

§.10. Exemplo temperantiæ ac laborum sit exercitui. Imperatoris virtus magno exemplo esse solet. Cato vino quod remiges bibebant, cōtentus erat, Hannibal sub crepusculum cibum capiebat, Amylianus, Scipio, Alexander in itinere ambulans cibum capiebat. Masinissa nonagenarius stans cibum capiebat.

§.11. Seuerus sit, & talis habeatur, vix credatur delictis ignoscere. Talibus enim propere, diligenterque parent, eos mirantur, & quamuis interdum irascuntur, tamen colūt. Militum enim lasciuiæ, improbitas, manus sanguine imbutæ, animus inhians rapinis, non nisi metu & seueritate compescitur. Opinio autem seueritatis facit ut delicta caueantur, pœnæ sint raræ, abstin animorum exacerbationes.

Interim duo sunt vitandi in hoc mari scopuli; Primus nimia seueritas; ne supplicia & contumelias disciplinam vocare videatur. Alter ne miles non sit in arbitrio ducum, sed duces militari violentiā trahantur. Quorum primum abruptas seditiones; alterum interitum accersit. Turcarum lege militari omne delictum morte punitur. Hoc quidem commodi inde habent, ut ceteri militum non facile tumultuentur, Janizaros tamen ea seueritate continere non audent.

§.12. Seueritatem multā comitate reddet tolerabilem, imo amabilem; Si oportune beneficentia vtatur, si verborum atrocitatem in decernendis pœnis vitet. Si faucios visat, curetq; Verū nulla maior vis est, quæ arctius eos iungit, quam commune periculum. Quapropter in prælio commilitones, & fratres appellare milites consueuerunt. Fidos enim sola beneuolentia facit. Ita insignis Imperator ille apud Tacit. l. r. annal. Utq; cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire faucios, facta singulorū extollere, vulnera intueri, alium spe, alium gloria, cunctos colloquio & cura, sibiq; & prælio firmabat.

§.13. Minores duces, Tribunos, ceteros habeat, qui impetu, & celeritate valeant, & si forte prudentia destituantur; Aliquos esse tales non omnes expedit, quædam enim subito, & periculo aliquorū discutienda sunt, ad quæ audaces isti prouolāt. Eos ipse tamen moderetur, ut non nisi suo tempore vires effundant; quæadmodum. n. canes venatici generoso impetu in hostem insurgunt, sed loris tenentur, dum momentum adest, ita hos magni facere, fouere, laudare, præ-

miis afficere oportet; nā maxima efficere solēt, & alios ad paria decora excitare. Imo fe quoq; talē existimari non indigne ferat; nam miles latus est seruire ducis.

§.14. Ne duces mutet; Est sane q; in Romana militaria reprehendam: Tribuni cum essent in legione qualibet seni, bini per duos menses imperabant, itaq; ad eisdem post sex menses redibat imperium. Polybius. Vniuersam lateris probationem duo Tribuni faciunt. Similiter aliam etiam castrensem curam hi sunt qui gerunt. Nam in binos & binos se diuidentes, semestris spatii duos menses imperat, & quos ea fors tangit, vniuerse administrationi castrensi tunc præsumt. Idem imperitandi modus Præfectorum in socios. Equites & Centuriones cum primā luce veniunt ad tentoria Tribunorum, Tribuni ad Consul: atq; ille quidquid agendum Tribunis edicit: Tribuni equitibus Centurionibusque: isti vulgo militum, cum tempus cuique rei venit.

Hoc quoq; malū ambitionis Romanæ fuit. Hinc n. quæ sita occasio nocendi æmulis, placendi militib; cum duo vel simul, vel alternis diebus, vel mensibus, imperium haberēt. Hoc laudabile, q; mane quotidie ad Imperatorē Tribuni, ad Tribunos equites & Centuriones mandata accepturi veniebāt. Imo milites ad centuriones ut Joseph. l. 4. de bello. Vix tamē fieri potuit, ut milites omnes ad centurionem. Sed accipiendo eos, qui sub signani, velites venisse nō puto, sparsi illi per vallum erat. Imperator Tribunis tum signum dat, & alia mandata. Cum autē signum petit, imperatori simul numerū militum præsentium recenset. ita Appian. l. 5. Et apud Sen. de animi tranq. c. 8. Numerus illi quotidie seruorū, ut imperatoris exercitus referebatur, cuiā diuitia esse debuerant duo vicarij, & cella laxior Id prudentissime constitutū esse, docēt hodiernæ fraudes, q; cæca nomina principib; offerunt, q; adeo nunc in consuetudine abiit, ut pro industria habeatur, illo mō furari.

Summa omnium magistratuum eo tendebat, ut omnes sine errore, & celeriter imperiū acciperent. Liu. l. 4. 4. Ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine, ad nutū imperitūq; ducis fierent, prouidit. Vbi omnib; simul pronunciaretur quid fieret, neq; omnes exaudirent, incerto imperio accepto, alios ab se adiacentes plus eo q; imperatū sit, alios minus facere. clamores deinde dissonos oriri omnib; locis, & prius hostes quā milites qd; pareretur scire. Placere igitur Tribunū militū Primpilo legionis secretū edere imperiū, illū & dein singulos pximo cuiq; in ordine Ceterioni dicere qd; opus factū sit: siue a primis signis ad nouissimū agmē, siue ab extremis ad primos pferendū est.

§.15. Hoc quoq; cauendū, ne aliquā notā infames præficiat, quāuis egregij milites esse videantur. Quid mirum perisse Elagabalum, de quo Herodian. Quippe exercitibus saltatorē quendā præfecit, qui olim iuuenis publicē in theatro operas dederat. Alium itē ē scena iuueni, alium senatui, alium et equestri ordini præposuit. Aurigis itē & comædis mimorūq; histrionibus, maxima imperij munia demandabant. Seruisq; suis aut libertis (ut quisq; turpitudine reliquos anteibat) procuraciones tradebat provinciarum.

Nero quoq; per summam vacordiam ad exercitū libertū milit. Tac. l. 14. Sed hostibus irrisus fuit, apud quos flagrate etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat, mirabanturque, quod dux & exercitus tanti belli confector seruitutis obedirent.

§.16. Diligens sit, & occasionem arripiat, quācumq; agendi vincendi; Occasione egregie vsus est Frāscus Carmiola Venetorum Dux; cum enim vicina castra essent, & eques cum quodam hostium equite inimicitias haberet, & duello decernere vellēt, cōstituto inter castra pugna loco; multis cōcurrētib; ad spectaculū, Venetus robur suorū militū in castris instruxit, & derepente hostes inopinato inuadens vicit, fugauitq; Quantum vero etiam aduersis ingenium valeat, id, quod addā, ostendit. Cleomenes & Argiui castra finitima habebant, Rex omnia per præconem edicebat, eum imitabatur Argiui, ita ut cum pranderet, quiesceret, suos educeret, illi quoq; eadē quasi cō-

Error in agmine vitandus.

Nulla nota sit infamis.

Occasio arripienda.

munni signo dato factitabant, at quodam die clam suis denunciavit, cum signum pradij daretur, arma sumerent, quo facto priandentibus superuenit, & occidit. Tanti erat nosse, quid ferret occasio. Summo in timore erat Iphicrates Atheniensis, sed cum explorasset Thracas, è collib. per quos solos ad castra via erat noctu venturos, exercitum clam ad viæ latera disposuit, ignes per paucos in castris aluit, deinde multitudinē decurrentem à lateribus aggressus occidit. Quā facile vir ingeniosus periculum summum in hostes conuertit. Et ex eorum consilio victoriam quaesivit.

CAPUT XXIII.

Princeps aut Rex magno bello ipse interfuit.

Magno bello princeps ipse interfuit.

S. 1. Qui regnum vnum aliquod quamvis grande gubernant, si bellum oritur ad pati, vel potentiore, illi praesse, atq; omnia administrare regem ipsum conuenit. Plurimum n. momenti habet boni regis praesentia: meritoq; Antigonus gubernatori de hostium multitudine admoneri dixit: *ἐπεὶ δὲ ἀνδρῶν πλεονησὶα νῆος ἀνίσταται*. Me vero ipsum praesentē, quam multis antepōnis. Augustus non modo ducis, sed militis quoq; officio functus est, atque in media dimicatione, aquilifero suo legionis grauitat faucio, aquilam humeris subiit, diuque portauit. Prima virtutis insignis regis praesentia est, quod summum ius pugnandi, pro occasione mutandi omnia secum vehit. Vbi enim dux summus est, ibi occasio praesens, ubi ille non est, multa aliunde petenda sunt.

Periculosa res sub regibus magni ducis.

S. 2. Duces suos aliqui se potentiores efficiet, cum exercitum in manu habeant, sintq; exercitati, facile in ordinem redigere principem imbellē queūt. Ostendūt hoc multorum ducum, qui reges solio deiecerunt, exempla. Cum victoria enim non regibus, sed administris attribuitur, periculosum est regibus potentes, acres, & gratiosos habere duces belli.

Rex in praelio suo secum coniunctus.

S. 3. Interfit praelio, ubi de tota summa decernitur, in minoribus per duces suos belligeretur. Heraculum admirabatur Sarrbarus; quam audax, inquit, ad pugnam stat, & contra multitudinem solus decertat, & velut incus iacula renuit. Quod in necessitate fieri potest, alias nunquam committendū, ut in vnus capite exercitus periclitetur. Augustus, prout visum, bellis interfuit, aut per duces gessit. Suet. trāq. Oct. Aug. Externa bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum adolescens adhuc: & Antonio deuictio. Dalmatico etiam vulnera excepit, vna acie dextrū genu lapide ictus altera autem & cruris & vtrumq; brachium ruina pontis confauciat. Reliqua per legatos administravit: ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis, aut interueniret, aut non longe abesset, Ravennā, vel Mediolanum, vel Aquileiam vq; ab vrbe progrediens. Cum igitur raro praelijs, & sine periculo interesse debeat, multo minus cum paucis se in viam dare, & explorare hostes conuenit, id q̄ fecit Theodosius, cum equitibus comitatus hostes, sed vt summa audacia ita summo periculo inuenit.

Imperator cum paucis non ibit exploratum.

S. 4. Regem dubijs praeliorum casibus, si quando in aciem descendat, esse necesse est: vel igitur sit aliquo in loco praefidio vallatus, vel vrbe vicinā, ita factum est 2. Reg. 18. 2. Dixitq; rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum. Et respondit populus: non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt, quia tu vnus pro decem milibus computaris: melius est igitur, vt sis nobis in vrbe praefidio.

Temeritate quoque Alexandri non immerito culpant scriptores, quod omnibus praelijs interesse, sua manu in prima acie pugnare consueuerat. Nunc propter incerta tormentorum iacula, multo magis videndum est, ne ille saucietur, in quo est vniuersorum periculum. Gloriose magis quam prudenter dictum est.

Primum inire manu, postremum ponere pugnam.

Et βασιλεὺς τὸ ὄψαδος, καλεσθεὶς τὸ ἀπὸ τῆς πόλεως. Rex bonus & fortis bellator. Optandum id est, cum necessitas requirit, alioqui discrimina vt in cor ipsum, ita in regem, qui est cor praelij, prouocanda non sunt. Alijs in rebus aequalitatem teneat. Nesciatur dux an miles eat, monstret tolerare labores, non iubeat; hac in re cautus esto. Specimen boni principis dedit Antonius Caracalla, sed constantia eidem defuit: Ea tamē quae de eo scribit Herodianus bono duci vsurpanda censeo. Ipse, inquit, vtique nullum non militia munus promptē obire: & siue quid sodiendum foret, primus fodere: siue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, siue quod opus manuum faciendum, aut labor subeundus, primus omnia occupare: remig, mensa, ac ligneolis poculis, vasisque esculentorum contentus esse, panemq; etiam temerē factum comesse: quippe tritico quantum satis vni foret, suā manu molito, massaq; inde facta atq; in carbonibus, decocta, vesci solitus, omnia deniq; elegantiora aspernari, & vilissimis quibusque ac vel pauperissimo gregarioq; militi facilis vi. Tum commilitonē quam principem vocari se malle, ac plerumq; iter facere, perinde atq; ipsipedibus ambulans, raroq; vehiculum consedere aut equū: sibi ipse portare arma: nonnunquā etiam signa militaria longissima, & multis aureis ornamentis praegravia, ac ne robustissimis quidem militibus facilia, ipse humeris subire.

Boni ducis signa.

Traianus etiā pedibus semper cum militibus iter fecit; eaq; comitate cōsecutus est, vt contra eum miles nunquam tumultuatus sit, vt auctor est Dio. Mirifice enim miles ad opus accenditur, cum Imperatoris consortio labores suos honorari cernit.

S. 5. Deniq; euitat incommoda quae ex aliorum in bellis ducatu eueniunt. Quae recte recenset Machiavelus, sed pessime ac impie omnino definiuit. Verba illius describam. lib. 1. c. 30. Si quis princeps huiusmodi suspitionum occasiones euitare velit, ne pro beneficijs erga suos ingratus esse cogatur: eum oportet ipsum met rebus gerendis interesse: quemadmodum primi Romanorum Imperatores olim & nostra aetate Turca, ceteriq; insigni virtute principes facere solent. Nam si praesentes sint, & rem praelare feliciterq; gerāt: ad eos omnis laus atq; gloria pertinet: Si ipsi absentes, per alios rem bene gerant: tunc quia videtur summa laudis penes eum esse, qui negotio interfuit, non putant se partem victoriae ex animi arbitrio frui posse, nisi extinguant laudem illius, per quem res tam bene gesta est: atq; ex ratione iniusti ingratiq; euadunt. Et quamuis ipsi sibi videatur laudem lucrari eorum, quos hoc modo offendunt: tamen si quis rē diligenter explorat: cōperiet illos plus amittere, quā lucrari. Quod et si ita sit, tamen fieri non potest, quin in huiusmodi errores incidāt, quicūq; aut per imprudentiā, aut negligentia domi otiosi manēt, rerum administrationem aut alijs ducibus suis demandāt: nec vlla ratio est, eos iniuandū, quo minus eo, quo natura ipsos ducit, ferantur. Qui vero dux militaris, repraelare gesta, euitare vult sui principis ingratitudinē, auorū alterū faciat oportet. Nam postquam victoriam obtinuit, aut statim exercitui tradito alteri, ipse in sui principis clientelā supplex cōmittat oportet: sibiq; in omni superbia, atq; ambitione tēperet: quia sola ratione principis animū demulcere poterit, ne de illo quicquā suspicari queat, sed causam manifestā habeat illi praemio afficiendi, non autem laudandi. Aut si facere non velit, sciat tamen ingratiū principem se habiturum: vnicum habet praefidiū se aduersus ingratitudinem tuendi, si victoriā partem sibi referuet forti animo, nec eam ad principem pertinere ostendat: milium & praecipuorum exercitus ducum animos vel sibi cōsiliet, vel si quos nequit benigne conciliare, eos muniendi sui causa è medio tollat: cum vicini populi amicitia contrahat, loca munitiora subinde occupet, praefidijsq; confirmet. Hac ratione ingrato animo viciem rependere poterit. Haec sola sunt rationes quibus bene meritis cauere pōt, ne ab ingrato domino opprimatur, sed quia ita comparatum est, vt homines nesciant esse vel plane boni, vel excellēter mali: itaq; nec post victoriā partem exercitū statim reddere nouerunt, nec modeste atq; humiliter se gerere: nec excellenti ac magnifica quadam malitia uti sciunt: itaq; dubii inter duo extrema haerentes opprimuntur.

Imperator res dirigat, non ipse dirigatur.

Machiaveli improbiū consilium.

Tet 4 Primum